

monasterium in urbe eadem situm?" Et ego ad eum: "Optime". At ille: "Et in quo", inquit, "loco ibi sanctus Dyonisius requiescat?"¹ Tum vero ex corde intimo ingemescens satisque lacrimans ait: "Nequaquam pro dolor", inquit, "quoniam olim hinc per furtum ablatum est. Quamvis enim ita ut a te ab aliis quoque falso credatur, aput nos tamen, qui in hoc cenobio conversamur, veritas non ignoratur, utpote quorum patribus miseria contigit tanta. Ceterum nisi te michi familiarissimum crederem, talia tibi minime patefacerem. Unde etiam, quomodo idem sanctus noster patronus ablatum fuerit, iam tibi pandere volo. Fuit", inquit, "rex quidam^a in Germania, nomine Arnolfus, qui veniens in provinciam hanc cum exercitu multo, postquam circumquaque positas urbes circuivit, ad haec etiam loca profectus ante proximam civitatem in amenis pratis^b castra est metatus". Sicque omnia, pene ut a nobis superius prolata sunt, indicavit sibimet narrasse et hoc, quod nos pretermisimus, in fine sermonis addidisse: "Postquam", inquit, "idem rex hinc discessit, in ipso campi herbidi loco, ubi primitus perae cum ossibus sanctissimis oneratae solotenus deponebantur, miracula tanta coruscare ceperunt, ut monasterium celebre, sicut hodie cernitur, inibi construeretur, in quo multitudine monachorum congregata laudis divinae inolescit cottidie cura. Nunc igitur quoniam tibi tanta de patrono nostro secreta reseravi, fac pro quantavis mercede, quod postulo. Vade ergo ad predictum sancti Emmerammi monasterium et diligenter explorans, ubi illic altare sancti patroni nostri sit, michi renunciato. Nam si ita feceris, premium procul dubio maximum a me consequeris". Cuius petitioni ego quidem, fateor, pollicitus sum libenter parere, sed quia in hanc provinciam et in urbem Ratisponam veniens, nichil omnino de sancti Dyonisii vel nomine audivi, quid eidem abbati illo iterum transmigrans renunciarem, nescivi. Idcirco quotienscumque ab eo dehinc interrogabar, preces illius me oblitum esse fatebar. Et forsitan divina dispositione facta sunt haec, ut nec adhuc patroni tanti translatio divulgaretur nec per me tam dampnosa^c exploratio perficeretur'.

6. Huiusmodi itaque inclusus profert dicta. Unde quia et proxime et procul positorum concordat sententia, et nos, qui hucusque dubitavimus, quodammodo compellimur talia credere et memoria literarum aliis transmittere. Non solum namque alii infra et extra urbem positi de hac translatione

a) quidem c. b) pontis *später* corr. pratis c. c) dampnosa c.

1) Hier scheint etwas zu fehlen wie etwa: Und als ich darauf antwortete: Der heilige Dionysius ruht, denke ich, in Euerem Kloster?